

§ VII.

DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU
EPISCOPI, CAPITULI SEDE VACANTE, VICARI
GENERALIS, ET COLLEGII.

175. Post Papam ordinarius collator beneficiorum sua diœcesis, est episcopus. — Quæritur I. An, et qualiter episcopo competit collatio beneficiorum? Resp. I. Post Papam ordinarius collator beneficiorum in sua diœcesi, est episcopus. Ita communis: et patet ex can. *Regenda*. 10. q. 1. et can. *Omnes basilicæ*. 16. q. 7. et can. *Nullus omnino*, ead. caus. 16. q. 7. ubi sanctis canonibus constitutum dicitur, ut « animarum cura in episcopi judicio, et potestate permaneat. » Concordat cap. 1. de Capell. monach. et c. Conquerente. 16. § *Nos autem de Offic. ordinari*. et c. *Cum ex injuncto*. 12. § fin. de *Hæretic*. In quo posteriori loco sic habetur: « Ad cuius (episcopi videlicet) officium tam institutio, quam destitutio sacerdotum, noscitur pertinere. »

176. Et quid, si aliquis episcopus fundet beneficium in diœcesi alterius? — His adde, quod institutio sacerdotum pertineat ad episcopum loci etiam in eo casu, quo quis episcoporum in alienæ diœcesis territorio ecclesiam aedificavit. Siquidem « omnis ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum (episcopum) in cuius civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinet, » juxta textum expressum can. *Si quis episcoporum*. 16. quæst. 5. Episcopo autem ædificatori competit solum jupatronatus respectu ecclesiæ a se ædificatae, nempe facultas præstandi idoneum clericum ad ipsam: sicut istud competit unicuique patrono privato. Abbas c. *Cum ecclesia Vulterana*. 31, n. 8. de *Election*.

177. Episcopus habet fundatam intentionem super institutione, et destitutione clericorum, in beneficis sua diœcesis. — Resp. II. Adeo ad episcopum loci de jure communi spectat collatio beneficiorum, ut is fundatam intentionem habeat super institutione, et destitutione sacerdotum, aliorumque clericorum in beneficis sua diœcesis: et, si aliud istud sibi vindicet, probare debeat, jure speciali id sibi competere. Ita habetur per jura proxime allegata, ex quibus patet, collationem beneficiorum sua diœcesis, quantum est de jure communi, pertinere ad episcopum: ac notat *Glossa* in c. *Quanquam*. 18. § *Devovetur de Election*. in 6; Abbas c. *Cum ex injuncto*. n. 2. de *Hæretie*, et c. *Cum ecclesia Vulterana*

n. 3. de *Election*. Joan. de Selva tom. XV. *Tractatum*. tract. de *Beneficiis*, part. II. quæst. 22. n. 1. et 41. et Garcias, part. V. de *Benefic.* cap. 1. n. 235. cum aliis.

178. Exceptis beneficis electivis ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, atque abbatis, etc. — Hinc tamen oportet excipere beneficia ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, quæ spectato jure communi sunt electiva; sive non per collationem, aut alias provisionem episcopi, sed duntaxat per canonica electionem obtineri possunt: ut cap. 1. de *Election*. etc. *Quia propter*. 42. eod. cum similibus. Idem dicendum de Abbatis, juxta can. *Congregatio*. 16. q. 7. et c. *Ne pro defectu*. 41. de *Election*. Tacentur nonnulla alia beneficia, quorum collatio an jure communi pertineat ad episcopum, fusa disputant auctores proxime allegati.

179. Capitulum Sede vacante, an possit conferre beneficium? Nequit conferre beneficia libera, quorum collatio pertinet ad solum episcopum. — Quæritur II. Utrum capitulum sede vacante possit conferre beneficia? Resp. I. Capitulum vacante Sede episcopali, non potest conferre beneficia libera, quorum collatio ad solum episcopum pertinet. Ita communis; estque clare decisum in c. *Illa*. 2. *Ne Sede vacante*, etc. Ubi ejusmodi collatio beneficii, Sede vacante per capitulum facta, reprobatur, atque irrita declaratur, ea addita ratione: « Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante Sede, fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum, » etc. Concordat cap. 1. de *Institut*. in 6. expressis verbis pronuntians, quod « Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit. »

180. Collatio beneficii ecclesiastici est quædam liberalitas, et donatio. — Nec immerito sic statutum fuit: Siquidem collatio Beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, et donatio c. *Relatum*. 9. h. t. et cap. ult. de *Offic. Vicarii*, in 6. et c. *Cum accessissent*. 8. de *Constitut*. ibi: « Ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta: » juncto c. *De multa*. 28. § *Is quoque. h. t. cap. un. Porro cum donatu*. Ut *Ecclesiastica beneficia*, etc. Atqui donare de bonis, et juribus episcopo competentibus, non potest capitulum Sede vacante; sed tenetur illa episcopo successori fideliter reservare, can. *Hæc hujus placiti*. 12. q. 2. et c. *Cum vos*. 4. de *Offic. ordinari*. et c. *Quia saepe*. 40. de *Election*. in 6. et Clem. *Statutum*. 7. eod. cum similibus.

§ VII. DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU EPISCOPI, ETC. 497

181. Neque capitulum succedit episcopo in præsentatione; vel electione ad beneficia, quando hoc pertinet ad episcopum, dum vivit. — Atque eadem de causa non succedit capitulum Sede vacante in præsentatione, seu electione ad beneficia, ubi præsentatio, sive electio pertinet ad episcopum: ac proinde illud non potest præsentare ad talia beneficia, quando ius præsentandi pertinet ad episcopum, dum vivit. *Glossa* in Clem. un. § *Conferantur de Rerum permutat.*; Joan. Andreas cap. un. n. 2. de *Majorib. et obed.* in 6; *Rebuffus* in *Praxi benefic.* tit. de *Devolutionibus*. n. 70; Azorius part. II. lib. III. cap. XXXVIII. q. 10; Garcias, part. V. de *Benefic.* cap. VII. n. 52. et alii. Nam verbum *Collatio*, comprehendit etiam *Præsentationem*, juxta *Glossam* loc. cit. et eliam *Glossam* c. *Eum cui in casu, de Præbend.* in 6. estque jam dictum supra § 5. n. 125. Simulque præsentatio est in fructu, sicut collatio, juxta *Glossam*. c. *Cum olim*. § *Capitulum*. circa fin. de *Majorit. et obed.* Fructus autem beneficii debent reservari futuro successori, per juxta num. præced. allegata.

182. Capitulum episcopo negligente confert beneficia, non vero Sede vacante: et quæ disparitas? — Nec obstat primo, quod capitulum, episcopo negligente, conferat beneficia ad hujus collationem spectantia, c. *Nulla*. 2. § *Si autem de Concession. Præbend.* Resp. enim, istud procedere duntaxat in casu negligentie; sive, quando « Episcopus conferre distulerit, » uti loquitor textus cit. c. *Nulla*. Secus dicendum in casu Sedis vacantis: iunc enim nulla potest notari negligentia episcopi, beneficia conferre differentis; hoc ipso, quod « non adsit ibi superior, » sive episcopus, qui posset de facto, vel de jure conferre; prout respondet Pontifex c. *Illa*. in fin. *Ne Sede vacante*, etc.

183. Periculo ecclesiarum vacantium, quomodo tunc sit subveniendum. — Nec obstat secundo periculum ecclesiarum, quod Sede episcopali diutius vacante ipsis immineret, si de novo conferri non possent per capitulum regnans. Resp. enim, huic periculo alia ratione competenter tunc subveniri posse, ac debere. Siquidem, ubi beneficium pertinet ad collationem episcopi, Sede vacante contigerit vacare, tenetur capitulum, seu vicarius capitularis ipsius, statim habita notitia vacationis ecclesiæ, idoneum in ea vicarium, si opus fuerit, cum congrua fructuum portionis assignatione constituere; qui onera

ipsius ecclesiæ sustineat, donec electo novo episcopo, eidem de idoneo rectore provideatur: prout in simili casu novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVIII. de *Reform*. Huc quadrat, quod antea docuit Abbas cit. c. *Illa*. n. 2. et 4. *Ne Sede vacante*, etc. asserens, in tali casu posse capitulum interim constituere economum in ecclesia vacante; banc cuiquam dare in commendam, prout antiquitus fieri poterat, can. *Qui plures*. 21. q. 1. et c. *Nemo deinceps*. 45. de *Election*. in 6. donec eligatur novus episcopus: aut si hoc fieri non possit ob certas circumstantias, puta, ob diuturniorem vacaturam, recurrendum esse ad Dominum Papam, veluti ordinarium omnium.

184. Beneficia devoluta ad episcopum ratione negligentiae, vel delicti inferioris, non confert capitulum Sede vacante. — Resp. II. Etiam beneficia devoluta ad episcopum ratione negligentiae, vel delicti inferioris, non potest conferre capitulum Sede vacante. Ita Abbas c. *Cum olim*, n. 2. vers. *Mihi plus placet de Majorit. et obed.* Baldus c. *Ne pro defectu*. n. 7. de *Election*. *Rebuffus* in *Praxi benefic.* tit. de *Devolutionibus*, n. 93; Garcias, part. V. de *Beneficiis*. cap. VII. n. 53, *Barbosa*, tract. de *Canonicis*, cap. XLII. n. 410. § *Verum*; Anton. Flamin. Marchettus in *Praxi vicarii capitulari*. part. II. tit. XXXII. n. 6. et seqq.; Diana, part. VIII. tract. IV. resol. 27; Azorius, part. II. lib. III. cap. XXXVIII. quæst. 6. asserens hanc opinionem esse recipiendam eamque videri communem: quamvis oppositum teneat Joan. Andreas c. *Quanquam*. n. 1. et 2. de *Election*. in 6. ac etiam Abbas, sibi contrarius, in c. *Illa*. n. 3. *Ne sede vacante*, etc.; Zerola in *Praxi episc.* part. I. § *Capitulum*. *Vallensis* tit. *Ne Sede vacante*. n. 4. et nonnulli alii. Ratio conclusionis est; tum quia regula stat negative; videlicet, capitulum Sede vacante non posse conferre beneficia ad collationem episcopi pertinentia, c. *Illa*. 2. *Ne Sede vacante*, etc. et cap. un. § *Cum vero*, eod. in 6. Nullibi autem ab hac regula reperiuntur excepta beneficia, quorum collatio spectat ad episcopum jure devolutionis ob negligentiam, vel delictum inferioris; tum quia eadem ratio, quæ militat de beneficiis jure proprio pertinentibus ad collationem episcopi, pariter urget de beneficiis devolutis: nam etiam horum collatio sapit aliquam donationem.

185. Solvitur instantia. — Dices. Devolutio collationis beneficij ob negligentiam, vel de-

lictum inferioris, pertinet ad jurisdictionem ordinariam episcopi : sed in jurisdictione ordinaria episcopi succedit capitulum Sede vacante ; ergo. Resp. minorem varie esse limitandam, aut ex professo dicetur infra tit. IX. *Ne Sede vacante*, etc. § 2. et 3. ferme per totum. Præcipue vero eadem minor limitatur in illis, quæ sapient gratiam, et alienationem honorum, seu juriū episcopaliū : nti est collatio beneficiorum, etiam jure devolutionis ad episcopum pertinentium arg. cap. ult. de *Offic. vicar.* in 6. cum similiibus.

186. *Quando collatio beneficii communiter pertinet ad episcopum et capitulum, mortuo Episcopo (vel effecto inhabili) confert illud capitulum.* — Resp. III. Nihilominus, quando collatio beneficii simul et communiter pertinet ad episcopum et capitulum, mortuo episcopo (imo et aliter effecto inhabili) potest capitulum Sede vacante conferre ejusmodi beneficium. Ita communis omnium, juxta textum expressum cap. un. *Ne Sede vacante*, etc. in 6. ubi dicitur : « Si ad episcopum et capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo episcopo, vel a beneficiorum collatione suspenso, poterit capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut prælatus. » Hæc ibi. Accedit ratio, quam dat Glossa ibid. ¶ Etiamsi, in addit. et Vivianus in *Rational. jur. canon.* Quia capitulum, et episcopus, censentur unus corpus quoad ea, quæ eis convenient communiter facienda, c. *Novit.* 4. *De his quæ fiant a prælatis*, etc. ac proinde uno ipsorum effecto inhabili, succedit alterum. Nam jura corporis mystici, seu universitatis, conservantur in uno, l. *Sicut*, § fin. ff. *Quod cujusque universit. nomin.*

187. *Et vicissim capitulo reddito inhabili ad conferendum, confert solus episcopus.* — Unde et vicissim, si collatione beneficii communiter ad episcopum et capitulum reddatur inhabile ad conferendum (puta, quia est suspensus a collatione, vel singulariter omnes de capitulo sunt excommunicati) tunc vicissim solu episcopus poterit illud conferre, text. clar. cit. cap. un. *Ne sede vacante*, et c. in 6. Et ratio est, quæ supra.

188. *Secus quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum : ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum capituli.* — Secus dicendum, quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum, ita tamen, ut

is teneatur requirere consilium, vel consensum capituli. Tunc enim mortuo episcopo, nequit capitulum conferre ejusmodi beneficium vacans. Idemque dicendum, si episcopus est suspensus ; nisi forsitan episcopus fuerit in mora petendi relaxationem suspensionis. Textus est in cap. un. § *Cum vero. Ne Sede vacante*, et c. in 6.

189. *Capitulum sede vacante potest confirmare, aut infirmare electiones, ac præsentatos a patronis ad beneficia instituere.* — Resp. IV. Insuper potest capitulum Sede episcopali vacante, confirmare electiones ad beneficia celebratas, aut eas justa exigente causa infirmare ; prout habetur c. *Cum olim.* 44. *de Majorit. et obed.* Potest etiam præsentatos a patronis ad beneficia instituere. Textus est expressus in cap. I. *de Institut.* in 6. illis verbis : « Etsi capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit præsentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et nos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati. Licet ad episcopum (si superesset) admissio, vel institutio hujusmodi perficeret. » Hæc ibi.

190. *Disparitas inter potestatem instituendi in beneficiis præsentatos, atque confirmandi electos ; et inter collationem liberae liberalitatis.* *Confirmatio et institutio, sunt jurisdictionis necessariae : non sic ut sit collatio.* Tamen diversitatis, et cum capitulo Sede vacante competet potestatem instituendi in beneficiis præsentatos, et confirmandi electos, non autem conferendi ipsa beneficia, hæc est : quia collatio liberae liberalitatis ecclesiastici, est quædam liberalitas, et donatio, per jura n. 180. allegata. Licet enim superior teneatur conferre beneficium vacans, tamen non tenetur illud conferre huic determinatae personæ, præsertim in cursu æque digni : ac proinde huic illud conferendo, facit ipsi gratiam, et liberalitatem quamdam. Glossa in c. *Relatum.* 9. ¶ *Liberaliter.* h. t. E contra vero confirmatio electi, vel institutio præsentati, non est donatio ; imo est necessaria, et debita tali personæ, si electus, vel præsentatus est idoneus : ut c. *Postquam.* 3. *de Election.* et can. *Decernimus.* 16. q. 7. cum similibus. Et hinc fit, quod confirmatio, et institutio, sint jurisdictionis necessariae, in qua succedit capitulum Sede vacante : non sic libera collatio beneficii. Imo si hæc competenter capitulo, posset magnum fieri præjudicium episcopi

S VII. DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU EPISCOPI, ETC. 499

futuro. Abbas in c. *Illa.* n. 6. *Ne Sede vacante*, etc., et alii.

191. *Capitulum sede vacante, an possit recipere resignationes beneficiorum ? Sententia affirmativa, ejusque fundamentum refertur.* — Quæritur III. An capitulum Sede vacante possit recipere resignationes beneficiorum ? Resp. In resolutione hujus quæstionis variant doctores. Et quidem affirmat Abbas c. *Cum olim.* n. 2. vers. *Sexto dubitatur. de Majorit. et obed.* asserens, dominos de Rota fuisse in hoc vario, sed majorem horum partem ita censisse. Federicus de Seni tom. XV. *Tractatum, tract. de Permutation. beneficior. quæst.* 36. n. 61. et Felinus cit. c. *Cum olim.* n. 4. *de Majorit. et obed.* cum aliis asserentes, posse capitulum Sede vacante recipere beneficiorum resignationes, non tamen ea conferre, quando ipsorum collatio ad solum episcopum pertinet ; sed hanc futuropisco esse reservandum, atque interim economum, seu vicarium in beneficio constituendum. Rationem dant, quia capitulum Sede vacante potest aliquem ex causa legitima privare beneficio ; ergo etiam ex pari causa ejus resignationem, qui potest destituite ; ut inquit Innocentius, et alii, in c. *Quod in dubiis. de Renuntiat.*

192. *Negativa, hujusque rationes adducuntur.* — Negativam e contra sententiam tenet Glossa in Clem. un. ¶ *Conferantur. de Rerum permuat.* : Flamin. Parisius lib. VII. *de Resignat. beneficior. quæst.* 23. n. 37. et 38. Tanc opinionem appellans veriorem, et communem, quam etiam tenuit Rota in una illa dea. die 6 novemb. 1345. coram Reum ; Firthing. tit. *de Majorit. et obed.* n. 57. et alii. Rationem asserunt, tum quia resignationes beneficiorum, ad collationem solius episcopi spectantium recipere, nullibi reperiunt in iure concessum capitulum Sede vacante ; ergo subintrat regula negativa, quæ habetur c. *Illa.* 2. *Ne Sede vacante*, etc. ; tum quia hoc ipsum videtur capitulo expresse denegatum, cap. un. § *Cum vero eod.* in 6. ubi absolute dicitur, quod si « ad solum episcopum præbendarum spectat collatio, defuncto episcopo capitulum se non possit intromittere eisdem. » Atq. capitulum eisdem se intromitteret, si talium præbendarum, seu beneficiorum reciperet resignationem ; ergo ; tum tandem, quia admissio resignationis, absolute et libere factæ, importat gratiam et liberalitatem ; per eam quippe remittitur resganti onus, atque obligatio inser-

viendi Ecclesiæ : atqui in his, quæ sunt gratia et liberalitas, capitulum Sede vacante non succedit episcopo ; ergo.

193. *Solvitur fundamentum affirmative.* A diversis non valet illatio. — Nec urget (inquit) ratio prioris sententiae. Nam a diversis non valet illatio, l. *Papinianus.* ff. *de Minorib.* Atqui valde diversa sunt, capitulum ex causa privare posse clericum beneficio, et posse ejus resignationem admittere : istud quippe sapit gratiam et liberalitatem, atque perinet ad jurisdictionem voluntariam : illud vero spectat ad justitiam, atque jurisdictionem contentiosam. Hanc autem competere capitulo Sede vacante, patet ex c. *His quæ.* 11. juncta Glossa fin. *de Majorit. et obed.* licet prior, sive jurisdictione voluntaria, respectu juriū episcopaliū eidem minime competit.

194. *Refertur sententia media, procedens sub distinctione.* — Tertiam tandem, mediamque sententiam, tenet *Flamin. Parisius in tract. de Devolutio.* n. 35 ; *Garcias.* part. V. *de Beneficiis.* cap. VII. n. 72 ; *Layman.* l. IV. *Theol. mor. tract.* II. cap. x. n. 5. Ant. Flaminis Marchettus in *Praxi vicarii capitularis,* part. II. tit. XXXII. n. 18. et Diana, part. VIII. tract. resol. 29. Atque hæc opinio asserit capitulum Sede vacante non posse recipere resignationes liberas, seu simpliciter factas beneficiorum ad collationem solius episcopi pertinentium : bene tamen resignationes ex justa causa permutationis factas, vi ejus beneficia resignata necessario sunt conferenda clericis resignantibus post admissam ipsorum resignationem Clem. un. *de Rerum permuat.* sive reddit ratio n. 190. allegata.

195. *Capitulum sede vacante potest recipere resignationes beneficiorum, quorum collatio spectat ad capitulum, etc.* — In hac sententiariam varietate cum primis dicendum est post Glossam cit. Clem. un. ¶ *Conferantur. de Rerum permuat.* communiter receptam, quod capitulum Sede vacante possit recipere, atque auctorizare resignationes beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum capitulum, vel ad episcopum et capitulum simul. Quia enim tunc potestas conferendi beneficia pertinet ad capitulum Sede vacante, cap. un. *Ne Sede vacante*, etc. in 6. nihil obstat, quin eorum etiam resignationem recipere possit, quasi jure quodam accrescendi. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 69. n. 8. cum aliis, quos citat.

196. *Item resignationes ex causa necessaria; non autem libere ac simpliciter.* — Deinde capitulum Sede vacante potest recipere resignationes ex causa necessaria, non autem libere ac simpliciter loquendo. *Barbosa* c. n. 8. et alii. Istud contingit, quando fit resignatio beneficii ratione delicti commissi, atque in pœnam ipsius resignantis: quia tunc nulla intervenit gratia, seu liberalitas huic facta, sed debita ejus punio. *Flamin. Parisius* cit. lib. VII. quæst. 23. n. 35; *Marchetus* d. tit. XXXII. num. 21. et alii. Idemque dicendum, quando resignatio fit ob inhabilitatem personæ resignantis, sive in utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ: nam capitulum Sede vacante succedit episcopo in illis, quæ sunt contentiose jurisdictionis; aut quæ instanti necessitate, vel justitia, sunt expedienda. *Flamin. Parisius* d. lib. VII. de Resignat. benefic. quæst. 23. n. 35. et seqq.; *Pirhing* ubi supra. n. 57; *Quaranta* in Summa Bullarii. ¶. Capitulum Sede vacante. quæst. 9. et alii. In ceteris vero casibus, seu libere ac simpliciter loquendo, atque in gratiam sive favorem ipsius resignantis, nequit capitulum Sede vacante recipere resignationes beneficiorum spectantium ad collationem solius episcopi, per rationes n. 192. et 193. relatas; et concordant dicta superius lib. I. tit. IX. de Renuntiatione. § 1. n. 7.

197. *Vicarius generalis nequit conferre beneficia ad collationem episcopi pertinentia, nisi ipsi specialiter fuerit concessum.* — Quaeritur IV. Quid juris competit vicario generali episcopi circa collationem beneficiorum. Resp. I. Vicarius generalis episcopi habens mandatum generale, non potest idcirco conferre beneficia, quorum collatio pertinet ad episcopum: nisi eorum collatio fuerit ipsi specialiter concessa. Ita habetur expresse decimum cap. ult. de Offic. vicarii, in 6. ea addita ratione: « Quia in generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esse quis verisimiliter in specie concessurus; ne regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa. » Hæc ibi.

198. *Potest tamen a patronis præsentatos vi mandati generalis, in beneficiis instituere.* — Resp. II. Possunt nihilominus vicarii generalis episcoporum (alias officiales dicti cap. ult. de Offic. vicarii, in 6.) per commissionem officii generaliter sibi factam, a patronis præsentatos instituere in beneficiis; ita habetur c. Ex frequentibus. 3. de Institut.

ratio disparitatis inter institutionem, et collationem beneficii, patet ex dictis n. 190. Institutio enim præsentat in beneficio est necessitatis, ipsique debita, si ceteroquin sit habilis seu dignus: non sic collatio beneficii, utpote qua respectu talis personæ libere fit, sive habeat rationem liberalitatis, et donationis cuiuspiam.

199. *Si jus præsentandi spectet ad collegium præsentabit prælatus de consensu capituli c. alioquin, deficiente hujus consensu, irrita est præsentatio.* — Quaeritur V. Quid juris, quando præsentatio spectat ad Ecclesiam aliquam collegiatam? Resp. I. Si jus præsentandi spectet ad collegium, seu Ecclesiam collegiatam, præsentabit prælatus ejusdem de consensu capituli, vel majoris partis ipsius: alioquin, si consensu capituli non adiunxit, irrita foret præsentatio a solo prælato facta, et inde secura institutio clerici in beneficio. Textus est in c. Novit. De his quæ sunt a prælati, hic juncta Glossa ¶. Carere, et Abbate ibid. n. 8. asserentibus, has ipso iure esse irritas: quod intellige sub limitibus n. seq. ponendis. Concordat. c. Ea noscitur. 6. eod.

200. *Istud tamen limitatur in certis casibus. In pertinentibus ad prælatum et collegium simul, sufficit tacitus consensus collegii.* — Resp. II. Limitari tamen debet data conclusio, nisi ex antiqua consuetudine, vel privilegio competat prælato, ut possit solus, et absque consensu capituli quempiam præsentare; prout habetur cit. c. Ea noscitur. 6. § fin. de His quæ sunt a prælati, etc. Vel nisi tacitus saltem consensus capituli, utpote scientis, non reclamantis, accesserit: nam in illis, et quæ pertinent ad prælatum et collegium simul, sufficere tacitum collegii consensum, textus est in c. Continebatur, 2. eod.

§ VIII

DE PLURALITATE, ET INCOMPATIBILITATE BENEFICIORUM.

201. *Utrum pluralitas beneficiorum sit prohibita. Beneficia singula singulis sunt conferenda.* — Quaeritur I. Utrum pluralitas beneficiorum sit prohibita; et cur? Resp. I. Regula est, quod beneficia singula sint conferenda, non plura uni. Patet istud ex can. Sanctorum. dist. 70. et can. Singula. dist. 89. In quo posteriori loco notanter dicitur. « Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque ser-

scis singulatim committi juvemus »: idque exemplo corporis humani, in quo indecorum est alterum membrum fungi alterius officio, cum omnia non eundem actum habeant. Concordat can. Clericus, cum sqq. 21. quæst. 1. et c. Quia in tantum, 5. h. t. ubi pluralitatem ecclesiarum simul retentarum « certum continere periculum animarum, » asseritur. Et concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVII. de Reform. pluralitatem beneficiorum ex professo reprobans, atque inter alia inquiens, « quod ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum et quod improba cupiditatis affectus se ipso, non Deum decipient, quia ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt. »

202. *Enumerantur inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum ab eodem detentorum proveniunt.* — Accedit, quod ex pluralitate beneficiorum per execrabilem, atque insatiablem, et plus semper ambientem ambitionem ab eodem simul detentorum, atque importunæ petentiam improbitate a Romanis Pontificis extorturum potius, quam obtentorum, plura noscantur inconvenientia oriri, quæ deplorat Joannes Papa XXII. in Extravag. Execrabilis, h. t. quæ etiam reperitur inter extravag. Commun. eod sequentibus verbis: « Unde inter cætera inconvenientia, subscripta nascentur: quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere, sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis litteratis viris vita puritate, ac testimonio bone famæ pollutibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis, et honori: quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, et libertatis, multipliciter collabuntur; et ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificientia extruxerat decessorum. » Et (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur; et vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur. » Hæc Pontifex, misera experientia amplius comprobata: quæ merito quemlibet, suæ salutis memorem, detergere valerent a solicitanda beneficiorum pluralitate, ne et ipse certum incurrat animæ suæ periculum; sitque in numero eorum, de quibus dicit sanc-

tus Apastolus ad Philipp. II. 21: « Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ sunt Jesu Christi. » 203. *Dantur aliqui casus in quibus plura beneficia simul retinere, peccatum non est.* — Rep. III. Datur nihilominus aliqui casus, in quibus plura beneficia ecclesiastica simul retinere, peccatum non est: dommodo id fiat cum recta intentione. Ita divus Thomas Quodlibet. 9. art. 15. Fagnanus c. Quia in tantum, n. 41, de Præbend. et communis. Ratio est, tum quia habere plura beneficia ecclesiastica, non est intrinsece malum: ut est, mentiri, fornicari, etc. Sed quamvis habeat quamdam mali speciem, ob inconvenientia inde nasci solita et proxime enumerata: nihilominus haec ipsa concurrentibus certis circumstantiis excludi, atque cohonestari possunt; tum quia dantur aliqua beneficia, quæ inter se non sunt incompatibilia, sed compatibilia: prout desumitur ex c. Gratia. 7. de Rescip. in 6. dum dicitur: « Si talia sunt beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri. » Ubi proinde Glossa ¶. de Jure teneri, plura enumerat beneficia, quæ simul retineri possunt. Quod ipsum manifeste supponit concilium Tridentinum, sess. 7. cap. iv. de Reform. illis verbis: « Plura curata, vel alias incompatibilia beneficia. » Frustra enim adderetur ly, « vel alias incompatibilia, » nisi darentur quedam beneficia inter se compatibilia.

204. *Dummodo id fiat cum recta intentione.* — Additur tamen, « dummodo id fiat cum recta intentione: » ut puta, ob majus bonum ecclesiarum, sufficiente clericorum ministerio destitutarum, vel ob veram insufficientiam prioris beneficii pro honesta clerici sustentatione, aut hujusmodi. Nam si quis ea intentione plura recipiat beneficia, ut ditior evadat, ut laius vivat, ut facilius ad episcopatum perveniat in aliqua ecclesiarum ubi beneficium habet, etc. non tolluntur supra memoratae deformitates sed augmentur; quia cum tali intentione, utpote ex radice avaritiae, gulæ vel ambitionis procedente, etiam unicum habere beneficium, illicitum est, et pecaminosum divus Thomas loc. cit.; Fagnanus d. n. 41. et alii. Verum occasione præmissorum, ac supposita bona intentione.

205. *In quibus casibus plura beneficia simul licite retineantur?* — Quaeritur II. In quibus casibus plura beneficia ecclesiastica simul licite retineantur? Resp. Istud contingere potissimum in sequentibus casibus. Primo, per legitimam dispensationem, ex causa rationabili factam: de qua ex professo agetur infe-